



## Universitätsbibliothek Paderborn


**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica Prima

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)



# EXHORTATI. UNCULÆ CONSOLATORIÆ

In  
singulas totius anni  
*Dominicas.*

Dominica I. Adventus.

## EXHORTATIUNCULA I.

**F**illi ! alloquor vos verbis Christi :  
*Scitote, quoniam propè est regnum Dei.* Terrent & onerant corpus, aut animam mundi mala ?  
Sursùm corda ! Jesus ad æterna invitat gaudia. Recreatio horaria exhilarat animos : quid non poterit vita suavitas perpetua ? Et en ! jam imminet : *Sci-  
tote ; quoniam prope est.*

A

In-

*Instructio meritoria.*

Non ita nos effundamus in corporis solatia, ut obliscamur æterna. In re-creationibus ne deficiamus, examen diligens præmittamus, intentionem accuratam præfigamus, certos actus modestiæ, & temperantiæ statuamus, & solatiō finitō psalmum recitemus : *Quām dilecta tabernacula tua Domine virtutum.*

## II.

**O** tremor ! iterūm sistimus coram Judice, qui veniet cum magna potestate, & Majestate, coram qua jam nullus amplius locus misericordiæ pro peccatoribus : Ita D. Bonaventura : *Tanta erit tunc Judicis severitas, & inflexibilitas, quod, si B. Virgo & omnes Angeli, & Sancti, & Sanctæ flecterent genua, & cum lacrymis orarent pro aliquo, qui esset in peccato mortali, Judget non exaudiret eum.* O peccatum ! Tūne dominari Christiano ? Religioso ?

*Instructio meritoria.*

Unum tunc adhuc superest in tremendo

do Judicio anxiæ animæ solatium. Quod illud? Salvianus demonstrat dicens: *Nullum tunc erit animæ solatium, nisi sola conscientia bona, nisi innocens vita, nisi pænitentia fructuosa.* Fili! hanc ut in vitam secum portet alteram, recordetur animarum in purgatorio, & per oēto dies persolvat pro earum redemptione *Vesperas ex officio defunctorum.* Date, & dabitur vobis.

## III.

**C**hristum avidè expectamus, mi fili! benè, videbimus, quia propè est. Ne terreamur hujus adventu, in timore hoc sacro Adventū tempore ambulemus. Ait enim Salomon: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Ergo time, & ambula operando bonum.

*Instructio meritoria.*

Tempus acceptabile adest. Utamur strenuè. Nugarum satis est. Seria cogitemus. Manè excitatus statim salutet Incarnatum Verbum hoc suspiriō: *Centes millies laudetur SS. Incarnationis Do-*

A 2                   mini-

*minicæ Mysterium.* Ad omnes salutationes angelicas fleat quām devotissimè, corpore, & animō quietus. Nec dies sit, qui vobis transeat sine unius, vel alterius mortificationis opere. Nulla dies sine linea.

## Dominica II. Adventūs.

## EXHORTATIUNCULA I.

**E**cce ! Deus mittit angelum suum S. Joannem , ut retrahat impios à via impietatis : Bonos verò ad omnem erudiat justitiam, & sanctitatem. Improbi, quos inter & Herodes, non admittunt monentem. O infelicem ! nam *omnis anima, quæ admonitionem respuit, incurabilis est.* S. Greg. Naz.

*Instructio meritoria.*

*Bonus admoneri gaudet, ait Seneca, pessimus quisque correptionem patitur asperrime.* Bonus ut sic, mi fili ! ad obviam correctionem , vel superioris admonitionem inclinatò capite aliud non respondeamus, quām : *Fiat, ut Deus vult,* & optat superior ; Murmurationem verò,